

De quaestione, num qua sit affinitas inter Herodoti historiarum libros et logographorum opera, vel, ut distinctius dicam, utrum Herodotus iis tamquam fonte usus sit, an ea neglexerit, viri doctissimi in diversas discessere sententias, cum alii Herodotum e libris rerum scriptorum Ionicorum materiam magnam partem sumpsisse contendant, alii illum in suis historiarum libris logographorum rationem habuisse negent. Fieri quidem non potuit, quin Herodoti notitia Hecataei Milesii concederetur, quippe qui semel ac saepius ab illo commemoretur (lib. II, 143. V, 36. ibid. 125. VI, 137.), praeterea ex multis historiarum librorum locis elucet, Herodotum multorum quoque aliorum auctorum libros cognovisse in iisque legendis multum versatum esse. Neque enim ignarus est carminum Homeri (cf. II, 23. 53. 116. 117. IV, 29 et 32. V, 67. VII, 161.) neque Hesiodi (II, 53. IV, 32.) neque Aeschylī (II, 156.), Panyasidis, aliorum (v. Schöll, Philol. tom. X. p. 38 sq.). Quae quum ita sint, iure mirum videtur, eum, ut nonnulli voluere, eius disciplinae, quam ipse tractabat, opera i. e. libros logographorum non perlustrasse. Disceptatio autem huius rei propterea difficillima evadit, quod singula fragmenta, quae e logographorum operibus ab aliis auctoribus allata adhuc restant, cum magnam partem brevissima sunt tum saepissime nullo vinculo inter se cohaerent, ita ut ad rem diiudicandam parvi sint momenti. Accedit, quod interpolationes posteriore aetate factae haud raro genuinam formam sic mutaverunt, ut sincera ab iis, quae ad interpolatorem referenda sunt, discerni vix possint. Quae difficultates nobis occurrunt perscrutantibus, utrum Herodotus Xanthi opere, quod inscribitur *Ανθιαζά*, fonte usus sit necne. Valckenarius quidem (ad Herodotum IV, 45 p. 300.) Xanthi *Ανθιαζά* Herodoto materiam praebuisse omnino negat, Larcherus autem (cf. edit. Herodoti tom. I. p. 382.) contrariam proponit sententiam hisce verbis utens: „l'histoire de Xanthus lui (sc. Herodoto) avait fourni des matériaux pour la sienne“ et altero loco sic explicans: (Tom. I. p. 69.) „la description de l'Asie par Hecatée, l'histoire de Lydie par Xanthus, celle de Perse par Hellanicus et Charon de Lampsaque jouissaient alors de la plus haute réputation. Ces ouvrages agréables, interessans, furent sans doute dévorés par Hérodoté.“ (cf. tom.

III. p. 431.) Quam sententiam quamvis modum excedere Creuzerus censeat tamen Xanthi et Herodoti rerum Lydiarum descriptionem inter sese cohaerere minime negat, cum dicat (fragm. historicorum graec. antiquiss. p. 143.): „Namque lectitatum ab eo (sc. Herodoto) fuisse Xanthi scriptum, vix dubitare licet cuiquam, qui meminerit, eum in ipsis rebus Lydiis aliorum testimonia attigisse.“ Dahlmannus, (Herodot aus seinem Buche sein Leben. Forschungen tom. II. parte I. p. 120 sq.) qui Herodotum logographis, excepto Hecataeo, quidquam debere omnino infitiatur, Xanthi quoque Lydiaca illi in manibus non fuisse demonstrare studuit, cui sententiae Welckerus (kl. Schriften I. p. 432. vel: Seebode. Archiv. 1830. p. 70 sq.) assensus est. Nuper Urlichs (Eos. I. p. 558.) hac de re quaestione denuo adhibuit et quamquam loco allato Xanthum nominatim non affert, tamen Herodoti historiam cum logographorum artissime coniunctam esse, ut comprobaret operam dedit, sic explicans: „zu der Weise und den Stoffen der Logographen steht Herodot in so enger Beziehung, dass wir, wie schon Schöll bemerkt hat, aus ihm die Logographie viel besser kennen lernen, als aus den Bruchstücken der Logographen.“ Eodem loco vir doctissimus contendit quidem, in rerum Persarum historia Herodoto fontem fuisse Charonis et Hellanici *Περσικά*, sed, quod sciam, nondum accuratius explanare suscepit, quibus argumentis haec sententia innitatur. Hisce schedulis investigare mihi proposui, quaenam sit ratio inter Xanthum et Herodotum et indagare, num quae argumenta sententiae, eum in Lydorum historia enarranda illius vestigia secutum esse, probabilitatem concilient.

Ac primum quidem, priusquam ad rem ipsam tractandam aggrediamur, inquiramus necesse est, quo tempore Xanthus, cuius de aetate testimonia inter se discrepant, floruerit. Suidas sub v. *Ξάνθος* haec adnotat: *Ξάνθος, Κανδαίλου, Ανδός ἐκ Σάρδεων ἱστορικός· γεγονώς ἐπὶ τῆς ἀλώσεως Σάρδεων* (i. e. Ol. 69, 1.). Vocabulum „*γεγονώς*“ apud lexicographum laudatum non tempus, quo natus sit auctor, sed quo vigerit significare, multi loci testantur, exempli gratia, quae leguntur sub v. *Ἐκαταῖος*: *γένονε κατὰ τοὺς Δαρείου χρόνους* vel sub v. *Ἰππύς Ῥηγίνος*: *γεγονώς ἐπὶ τῶν Περσικῶν* (cf. Creuzerum l. l. p. 136.). Optime cum illis verbis consentit testimonium Ephori, quod exstat apud Athenaeum XII. c. 11. p. 515. D. . . . *ὅτι Ἐφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ (sc. Xanthi) ὡς παλαιότερον ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδοκότος*. Praeterea et apud Strabonem lib. XIII, p. 628. expressis verbis *παλαιὸς συγγραφεὺς* nominatur et a Solino inter historiae conditores primo loco commemoratur.

(Solin. 40, 6: ingenia Asiatica inclita per gentes fuere. — historiae conditores Xanthus, Hecataeus, Herodotus.) Quibus testimoniis repugnant ea, quae de aetatibus Xanthi et Herodoti leguntur apud Dionysium Halicarnassensem, de hoc quidem rerum scriptore sic scribentem (*π. τ. Θων. χαρ.* 5. p. 820.): *ὁ δὲ Ἀλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος γενόμενος ὀλίγω πρότερον τῶν Περσικῶν, παρεκτείνας δὲ μέχρι τῶν Πελοποννησιακῶν*, de illo autem, cuius simul cum aliis auctoribus mentionem facit, his utentem verbis (*l. l.* 5. p. 818.): *ὀλίγω δὲ πρῶτον τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας Ἑλληνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Λαμιάτης ὁ Σιγῆς καὶ Ξενομήδης ὁ Χίος καὶ Ξάνθος ὁ Λυδὸς καὶ ἄλλοι συγχοί*. Quibus duobus locis inter se comparatis, elucere Herodotum Xantho antiquiorem fuisse, nemo non intelligit. Itaque, ut testimonium Suidae cum verbis ex Dionysio Halicarnassensi allatis concordaret, Creuzerus (*fragm. hist. gr. antiq.* p. 137.) suspicatus, librarium verbis paulo ante scriptis: „*γεγονὼς ἐκ Σάρδεων*“ perturbatum, „*Σάρδεων*“ altero loco perperam repetivisse, legendum esse proposuit: „*ἀλώσεως Ἀθηνῶν*“, (*l. l.*: „*florere autem Xanthum coepisse, quo tempore Athenae captae fuerunt h. e. Ol. 75, 1. sive ao. 480 a. Chr. n.*“) quae emendatio vel potius mutatio nusquam, quod sciam, accepta est, et, ut ipse meam proferam sententiam, haud iniuria. Namque primum quidem haudquaquam verisimile videtur, Suidam referentem de auctore, quem unquam Athenis versatum esse vel aliqua historiarum librorum parte Atheniensium historiam attigisse, memoriae non proditum est, aetatem huius rerum scriptoris definivisse re memorabili ex Atheniensium historia prompta. Tum autem complures loci testimonio sunt, lexicographum, de quo dicimus, ionicorum historicorum vitam enarrantem rebus ex historia Persarum, non ex Atheniensium arcessitis usum esse in aetate auctorum statuenda. (*Suid. s. v. Ἐκαταῖος: Ἐκαταῖος Ἡγησάνδρου Μιλησίου γέγονε κατὰ τοὺς Λαρεῖον χρόνους* et *s. v. Χάρων: Χάρων Λαμψακηνὸς υἱὸς Πυθουκλέους γέγονε κατὰ τὸν πρῶτον Λαρεῖον*.) Denique autem discrepantia inter Suidae et Dionysii (cf. supra: *ὀλίγω πρῶτον τῶν Πελοποννησιακῶν*) testimonia, quam vir doctissimus removeere studuit, tantum paululo diminuitur. Omnino locus e Dionysio laudatus tantum difficultatum praebet, ut nobis in Xanthi aetate circumscribenda ansam dare vix possit. Florem enim Thucydidis in ipsum belli Peloponnesiaci initium incidere nemo nescit, et, etiamsi Hellenicus grandis natu moriebatur (*Suid. s. v. Ἑλλάνικος: ἐξέτεινε δὲ καὶ μέχρι τῶν Περδικκον χρόνων*. cf. Gellii Noctt. Att. XV, 23: Hellenicus, Herodotus, Thucy-

dides historiae scriptores in iisdem fere temporibus laude ingenti floruerunt et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus.) (cf. Lucian. de Marcobb. 22: Ἑλλάκιος ὁ Λέσβιος π' καὶ ἐ [ἔτη ἔζησεν]) et Damastes, qui Hellanici discipulus vocatur (Suid. s. v. Δαμάστις: γέγονε δ' Ἑλλανίζου μαθητής. cf. Muellerus. fragm. hist. graec. II. p. 64.), temporibus belli Peloponnesiaci vigeabat (Suidas eum Ἡροδότῳ σύγχρονον dicit), tamen logographorum, quos attulit Dionysius, aetates his artis finibus includere haud licebit, neque inde colligi poterit, quonam tempore auctor noster floruerit. Multo gravioris momenti hac in re ex mea quidem sententia est locus Strabonis, qui ad Eratosthenem auctorem respicit (Strabo. I. p. 49. Muellerus, Xanthi fragm. no. 3.): τὰτα δ' εἰπὼν (sc. Eratosthenes) τὴν Σιράτωνος ἐπαινῶ δόξαν τοῦ φυσικοῦ καὶ ἐπὶ Ξάνθου τοῦ Ἀυδοῦ, τοῦ μὲν Ξάνθου λέγοντος, ἐπὶ Ἀρταξέρξου γενέσθαι μέγαν ἀρχιόν, ὅστ' ἐκλιπεῖν ποταμοὺς καὶ λίμνας κτλ. Quod testimonium nititur auctoritate scriptoris cum summa fide digni tum florentis ante aetatem Dionysii Scytobrachionis, Xanthi Lydiacorum, ut memoriae proditum est, interpolatoris (cf. Athenaeus X. 8. p. 415. C. D.), quem temporibus Antonii Gniphonis i. e. circiter anno centesimo ante Chr. n. vixisse nuper exposui, (diss. inaug. de Dionysio Mytilenaeo s. Scytobrachione. Bonnae 1865. p. 14.) ita ut ille locus e genuino Xanthi opere effluxerit.

Reiiciendum est igitur, ut eorum quae dixi summam faciam, non minus testimonium Suidae, qui in historici Lydii aetate destinanda haud accurate expugnatione Sardium, Lydiae capitis, ansa usus est, quam Dionysii Halicarnassensis. Potius confirmandum est teste Eratosthene, Xanthum usque ad tempora Artaxerxis regis (464—425) floruisse. Qua in re semper illud tenendum est, vitam nostri auctoris ultra annum 450 extendere non licere, cum alioquin grave Ephori apud Athenaeum testimonium, quod Eratosthenis verbis minime repugnat, debilitetur vel potius tollatur.

Iam redeundum est, postquam Xanthum Herodoti aequalem fuisse docuimus, ad locum ex Ephoro citatum et ad alteram quidem partem, quae haec exhibet: καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος (sc. Xanthi). Itaque ex Ephori sententia necessitudinem quandam inter Xanthum et Herodotum interesse quis est, qui neget? Interrogantes autem, quid illa verba sibi velint, inuenimus, interpretationem a viris doctissimis datam esse diversam. Wesselingius (in praef. ad Herod.) vocabulum „ἀφορμὴν“ vertens: „ansam et occasionem“ addit: „neque enim opinor haec verba ulterius porrigi posse.“ Quam in eandem sententiam

discessit Valekenarius (ad Herod. p. 300.), contra Larcherus (ad Herod. tom. I p. 69.) ex illo Ephori loco iudicium, cuius supra mentio facta est, de ratione inter Xanthum et Herodotum duxit. Dahlmannus quonam modo horum verborum sententiam acceperit, non liquet cum libro laudato p. 121 dicat: es wird dieser Xanthus vom Dionys gepriesen, als einer der seines Gleichen in der alten Geschichte suche und vornehmlich als Begründer seiner vaterländischen Geschichtskunde voranstehe. Um so viel wichtiger, wenn es wahr ist, dass er für Herodot ein Sporn geworden ist.

Quam saepe vox *ἀφορμή* significatione „causa“ vel „occasio“ invenitur, (ad ex. praecipue apud Polybium II, 52. I, 88. II, 7. X, 33. III, 32. — Isocr. IV, 61) tam raro significatione, quae in nostrum locum quadrat, nobis occurrit. Welckerus (kl. Schriften I p. 431) duos locos profert, alterum ex Aristobulo, alterum ex Lydi de magistratibus libro petitum. Valekenarius illic (diatribe de Aristobulo p. 65.) verba *ἀφορμῶν εὐληφότες* et *ἀφορμῶν δεδοκότες* vertens, illa sic interpretatur: qui sua partim aliis debebant sive ex aliorum scriptis derivant; haec: qui praebuerant aliis materiam, cuius ope potuerint eniti ad sua scribenda. Altero loco (Lydus de magistr. I, 41 ed. Fuss.), quo exponitur, quantam vim Graeci habuerint ad litteras Romanorum excolendas, Lucilium imitatore fuisse Rhinthonis enarratur. (*ὅς ἐξαμέτροις ἔγραψε κομωδίων, ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Σουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωικοῖς ἔπισει ἐκωμώδησεν.*) Sententia igitur Ephori, quae unquam interpretationem praeferimus, omnino sensu caret, nisi accipimus, Herodotum Xanthi opus cognitum habuisse, eoque in scribenda historia usum esse, quoniam, etiamsi vocabuli „*ἀφορμή*“ significatio „ansa et occasio“ comprobetur, sequitur, ut alter auctor alterius operis gnarus fuerit.

Restat, ut quaeramus, quantum momenti testimonio Ephori tribuendum sit. Ut ab omnibus, hunc rerum scriptorem singularis doctrinae et in omnibus antiquitatis rebus optime versatum fuisse, contenditur, sic iure meritoque confirmare licet, eum logographorum operibus vacasse, eaque non solum legisse sed etiam, arte critica usum, ea quae illi memoriae tradiderant, perscrutatum esse. Legimus, ut exemplo utar, loco quodam apud Strabonem, quo Ephorus Hellanici sententiam refutat, haecce (Strabo. VIII, p. 366 A.): *Ἑλλάνικος μὲν οὖν Εὐφροσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν. Ἐφορος δ' ἐπιτιμᾷ φήσας Ἀγκούργου μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μνησθῆναι, τὰ δ' ἐκείνου ἔργα τοῖς μὴ προσήκουσιν ἀνατιθέναι.* Aliis apud eundem auctorem locis, ubi Hellanici sen-

tentia vel corrigitur vel repellitur, licet nomen Ephori non additum sit, de alio auctore vix cogitaverim (ex. gr. lib. IX, p. 426: . . . ἀπὸ γὰρ τοῦ δευτέρου ἀνόμασται ὁμώνυμος ὡςπερ καὶ Νάπη ἐν τῷ Μηθύμνης πεδίῳ, ἣν Ἑλλάνιστος ἀγροῶν Λάπην ὀνομάζει. (cf. Strabo X, p. 451. XI, p. 508.). Valde credibile videtur non solum multos apud Strabonem locos, quibus Hecataei mentio fit, non minus Ephoro quam Eratostheni deberi, sed etiam ceteros logographos commemoratos Charonem, Pherecydem, alios ad illius scriptoris auctoritatem referendos esse. (cf. Muellerus. fragm. I p. LXII.) Nihil igitur, quominus Ephori comprobemus sententiam, obstat, nisi forsitan dubium videatur, num Athenaeus hac de re diligenter inquisiverit, eique Ephori opus fuerit in manibus. Sed quoniam hunc auctorem tam saepe tamque accurate, numero libri, ex quo locos citat, addito, laudat, (VI. p. 264. III. p. 105 D. IV. p. 154 D. VI. p. 232 D. VIII. p. 352 C.) supervacaneum videtur, de altera quaestionis parte effusius disserere. Neque minus elucet, si spectamus rationem, qua utitur Athenaeus in illo testimonio afferendo, verba ex ipso Ephori opere effluxisse, cum, si Athenaeus id operam dedisset, ut opinionem Artemonis Cassandrei, qui Xanthi *Λυδιακά* posteriore aetate interpolata esse contendebat, ad irritum redigeret, usus argumento, quod ipse excogitabat Ephoroque scriptori summae auctoritatis subiiciebat, alium sententiae refellendae modum eum adhibuisse verisimile esset. Argumenta enim, quibus innotuit in Artemonis iudicio reiiciendo, tam inepta sunt, ut locus intelligi omnino nequeat, nisi accipimus, Athenaeum et ex ipso illius auctoris libro locum, de quo agitur, citasse neque ea in re reputasse, illum minime idoneum esse ad id, quod confirmaverat Artemon, refutandum. An aetas Xanthi et quod Herodoto ansam praebuerat (*τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος*) impedire potuit, quominus Lydiaca posteriore aetate manu interpolatoris cuiusdam in aliam formam redigerentur? Dahlmannus, l. l. rem tantummodo perstringens, Ephori auctoritatem debilitare studuit his verbis: „denn so urtheilt Ephorus, dem wir bei aller Achtung doch nicht gehalten sind auf's Wort zu glauben,“ et Welckerus, rem non accuratius perscrutatus, Ephori testimonium falsum esse iudicavit. De argumentis, quae Dahlmannus contra Ephorum protulit, ex ipsis Xanthi fragmentis derivatis, infra disseremus. Sin Welckerus dissertatione laudata iure meritoque confirmavit: die Behauptung der Unächtheit einer Schrift (wie sie von Artemon über die Lydiaca des Xanthus aufgestellt ist), zumal wo die Fälschung auf einen bestimmten Urheber zurückgeführt werden kann, ist immer bedeutender, als wenn noch so viele nach dem Titel die Aechtheit prüfungslos vor-


aussetzen, equidem eodem iure contenderim, testimonium ex ipsa antiquitate traditum, quod affinitatem inter duos auctores statuit, parvi aestimare nequaquam licere. Quin etiam illius testis verba eo graviore momenti sunt, quod Ephorus iis temporibus florebat, quibus Xanthi opus nondum Dionysii Mytilenaei manu interpolatum erat. Ex omnibus autem, qui Xanthi logographi mentionem faciunt, Ephorus praeter Eratosthenem, qui compluribus apud Strabonem locis Xantho teste utitur, solus est, cui genuinos Xanthi historiarum libros in manibus fuisse compertum habemus. Itaque cum ei et Xanthi sincera Lydiaca et Herodoti historiae in promptu essent, intelligi nequit, quonam iure illam sententiam protulerit, nisi affinitatem inter Xanthum et Herodotum perspexisset. Si igitur fieri potest, ut iudicium Ephori argumentis ex ipsis utriusque auctoris operibus petitis comprobemus, sententia, Herodotum Xanthi libris fonte usum esse, multo munitur et confirmatur.

Quod consilium Xanthus ipse in quatuor libris Lydiacorum componendis secutus sit, ex sparsis tantummodo fragmentis elici non potest. Verisimile autem est, eum, via ac ratione ceterorum logographorum usum, historiam Lydorum scripsisse, quemadmodum a Dionysio Halicarnassensi (*περὶ Θουκ. γραμ.* p. 818. 5.) explicatur: *οἱ μὲν τὰς Ἑλληνικὰς ἀναγράφοντες ἱστορίας, οἱ δὲ τὰς βαρβαρικὰς καὶ αὐτὰς δὲ ταύτας οὐ συνάπτοντες ἀλλήλαις, ἀλλὰ κατ' ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις διαρροῦντες.* Itaque etiamsi continuam rerum Lydiarum historiam Xanthum scripsisse haud crediderim, attamen, quin ille non modo varias fabulas resque geographicas, sed etiam multa quae spectant ad historiam Lydiae memoriae prodiderit, dubitari nequit. Ac cum valde probabile videatur, eum, quamquam fortasse Sardibus non nascebatur, (Strabo XIII, p. 628: *Ἀνδὸς μὲν λέγεται, εἰ δὲ ἐκ Σάρδεων οὐκ ἴσμεν*) magnam vitae partem hac urbe, quippe quae illis temporibus sedes esset litterarum, degisse (cf. Herod. I, 29: *ἀπικνεῖνται ἐς Σάρδις ἀμαρζούσας πλοῦτω ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἱ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγγανον ἐόντες, ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἀπικνεῖοιτο, καὶ δὴ καὶ Σόλων κτλ.*), inde colligere licet, de regibus quoque, qui illic quondam regnaverant, multa huius logographi operi intexta fuisse.

Iam eo pervenimus, ut Xanthi fragmenta ipsa perscrutemur et disceptemus, num Herodotus ex Lydiacis tamquam ex fonte hauserit. Magna quidem pars fragmentorum ad hanc quaestionem absolvendam minimi est momenti, nomina dico urbium, quas Stephanus Byzantius Xanthi nomine adiuncto affert. Nominantur urbes in Lydia ipsa sitae (fragm. 15. 18. 20. 21. 22. 25.), praeterea non-

nullae Lyciae (fr. 24. 26.), una e Syria (fr. 23) denique una e Phrygia (fr. 6). Quarum plurimae minimae fuisse videntur, cum alias a geographis earum non fiat mentio. Num omnes hae urbes in sinceris Xanthi Lydiacis commemoratae fuerint, an postea additae sint in incerto relinquendum est. Welckerus quidem, ratus maiorem earum partem a Dionysio Scytobrachione fictam esse, valde illud dubitat. Utut autem id est, Herodoto in historia Lydorum enarranda, qua tamquam praefatione utitur bellorum inter Persas et Graecos gestorum, occasionem multas urbes nominandi non fuisse elucet. Lyciam Lyciosque tantummodo leviter attingit (I, 28. 173. 176. III, 90. VII, 92.) itemque Syriam. (II, 12. 116. III, 5.) Transiens igitur ad fragmenta, quae ad historiam Lydorum ipsam pertinent, incipio a fragmento apud Muellerum primo loco posito, quod exstat apud Dionysium Halicarnassensem (Antiq. I, 28. p. 73. Reisk.): *Ξάνθος δὲ ὁ Ἀνδῶν ἱστορίας παλαιᾶς εἰ καὶ τις ἄλλος ἔμπειρος ὢν, τῆς δὲ πατρῶου καὶ βεβαιωτῆς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος νομισθεὶς οὔτε Τυρρῆνὸν ὠνόμακεν οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς δυνάστην Ἀνδῶν, οὔτε ἀποικίαν Μηϊόνων εἰς Ἰταλίαν κατασχοῦσαν ἐπίσταται, Τυρρῆνίας τε μνήμην ὡς Ἀνδῶν ἀποικίσεως, ταπεινότερον ἄλλον μνημημένος, οὐδεμίαν πεποίηται. Ἄττος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει Ἀνδῶν καὶ Τόρρῆβον, τοῦτους δὲ μνησαμένους τὴν πατρῶαν ἀρχὴν ἐν Ἰσίᾳ καταμῆναι ἀμφοτέρους καὶ τοῖς ἔθνεσιν, ὧν ἤρξαν, ἐπ' ἐκείνων φησὶ τεθῆναι τὰς ὀνομασίας λέγων ὧδε· ἀπὸ Ἀνδοῦ μὲν γίνονται Ἀνδοὶ, ἀπὸ δὲ Τόρρῆβου Τόρρῆβοι. τούτων ἡ γλῶσσα ὀλίγον παραφέρει καὶ νῦν ἔτι συλοῦσιν ἀλλήλους ῥήματα οὐκ ὀλίγα, ὡς περ' Ἴωνες καὶ Λοριεῖς.*

Non minus Dahlmannus hoc potissimum fragmento nisus est quam Valckenarius, ut sententias, de quibus supra disseruimus, confirmarent. Quod Herodotus alterum Atyos filium Tyrrhenum, Xanthus autem Torrhebum vocat, offendere negari non potest. Dionysius loco laudato de Tyrrhenorum origine copiose tractans addit variorum auctorum sententias hac de quaestione prolatas, quorum alii illos indigenas, alii advenas, qui e peregrina terra profecti ad Italiam appulissent, putabant. Recensitis deinde stemmatis hac de re propositis, iudicia Herodoti et Xanthi una commemorat. Est autem illius gentis origo secundum Herodoti opinionem haec:





ex sententia autem Xanthi:

Atys.  
 Lydus.                      Torrhebus.

Non modo alterum Atyos filium Lydum fuisse Xanthus et Herodotus inter se consentiunt, sed etiam apud utrumque auctorem nomen Lydorum eadem ratione a Lydo, Atyos filio, deduci videmus, denique Creuzerus recte monuit et apud Herodotum et apud Xanthum Lydos et Maeones inter se haud disiungi. (Her. VII, 74: *οἱ δὲ Λυδοὶ Μηῖνες ἐκαλεῖντο τὸ πάλαι, ἐπὶ δὲ Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος ἔσχον τὴν ἑπωνυμίην, μεταβαλόντες τὸ ὄνομα.*) Restat igitur discrepantia alterius Atyos filii nominis, qui illic Tyrrhenus hic Torrhebus nominatur. De stirpe autem Tyrrhenorum iam logographos inter se dissensisse comprobatur Hellanici fragmentum, (ap. Muell. fragm. 1.) a Dionysio eodem loco (Archaeol. I, 28.) commemoratum, ubi Tyrrhenos, quos Pelasgos habet Hellanicus, a ceteris Graecis oppressos in Italiam pervenisse exponitur. Huc accedit, quod emigratio Tyrrhenorum ex Asia, de qua agit Herodotus, a multis auctoribus enarrata erat, teste loco, qui invenitur apud Tertullianum (de spectac. c. 5. p. 139. 28.): „Lydos ex Asia transvenas in Euria consedissee, ut Timaeus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione, exstant auctores multi.“ Quae quum ita sint, nonne nostro iure coniectura colligere possumus, Herodotum de Tyrrheno, Xanthi sententia repudiata, alteram hac de re divulgatam opinionem secutum esse? Num similitudo vocabulorum *Τυρρηνός* et *Τόρρηβος* ad sententiam, in quam discessit Herodotus, ansam praebuerit, quemadmodum vult Dahlmannus (l. a. p. 121.), quidquam certi statui vix poterit, neque minus latet, quoniam ex fonte Herodotus hic hauserit. Videtur respicere ad opinionem, quae tunc de genere Tyrrhenorum differebatur, ut ex ratione, qua utitur hac in re explananda, elucet, quoniam hoc loco testimonio ad nullum certum auctorem pertinente nisus sic dicit (lib. I, c. 94.): *φασὶ δὲ αὐτοὶ Λυδοὶ καὶ τὰς παιγνίας τὰς νῦν σφίσι τε καὶ Ἑλλήσι κατεστεώσας ἑωτῶν ἐξέδρομα γενέσθαι, ἅμα δὲ ταύτας τε ἐξενρεθῆναι παρὰ σφίσι λέγουσι καὶ Τυρρηνίην ἀποικισθαι κτλ.* Herodotum in media narratione, quam oratione directa explicare pergit, subito nonnulla intertexere, ad famam quandam divulgatam spectantia, comprobatur exempli gratia locus ex lib. I. c. 27, ubi Herodotus relationem repente sic interrumpit: *ἑόντων δὲ οἱ πάντων ἐτοιμίων ἐς τὴν ναυπηγίην οἱ μὲν Βίαντα λέγουσι τὸν Πιργέα ἀπικόμενον ἐς Σάρδις, οἱ δὲ Πιττακὸν τὸν Μυτιληναῖον.* Herodotum e solius Xanthi opere hausisse nemo erit, qui contendat. Cum enim

ipse illis regionibus aliquamdiu versaretur, eum multa, quae tunc aut ipse videbat, aut ex aliorum ore comperiebat, in suos historiarum libros recepisse admodum verisimile esse putaverim. Itaque fieri non potest, ut ex hac inter Xanthum et Herodotum dissensione concludamus, illius auctoris *Ἀνθία* huic praesto non fuisse, neque minus repugno sententiae Dahlmanni, qui contendit, Herodotum silentium Xanthi de re tanti momenti praetermittere non potuisse. Nam etiamsi ille logographos dignitate et auctoritate multo superet, tamen inter historicos artem criticam exercentes referri nequaquam potest. Immo potius accipiebat, quidquid probabile putabat, ac cum nullas causas afferre soleat, cur qua sententia probanda sit, non est cur miremur, si sententias refellere negligit, quas ipse non comprobabat.

Ordo familiarum regum apud utrumque auctorem (v. Herod. lib. I. fragmenta Xanthi et Nicolai Damasceni, de quo infra tractabimus.) est idem: Atyadae, Heraclidae, Mermnadae. Dahlmannus l. a. complures reges fabulosos, qui in Xanthi fragmentis commemorantur, ab Herodoto silentio praetermissos ad suam sententiam confirmandam adhibuit, quamquam certum argumentum inde elicere non audet. Horum enim antiquissimi temporis regum Herodotum non prorsus ignarum fuisse, testantur nomina regum lib. I. c. 7. enumerata et rex quidam Meles commemoratus (lib. I. c. 84), de quo historia narratur aequè mirabilis atque ea, quam Xanthus de rege Camblete tradidit (fragm. 12). Ceterum haudquaquam mirum videtur, quod Herodotus antiquissima Lydiae tempora solummodo obiter tangit, si inquisiverimus, quod consilium secutus sit, cum Lydiae historiam describere consilium caperet. Responsum autem huius quaestionis eo loco datur, quo omnino primum Lydorum mentionem facit et disertissimis quidem verbis (lib. I. c. 6.): *οὗτος ὁ Κροῖσος βαβάρων πρῶτος τῶν ἡμεῖς ἴδμεν τοὺς μὲν κατεστρέψατο Ἑλλήνων ἐς φόρου ἀπαγωγὴν, τοὺς δὲ φίλους προσεποιήσατο* et eodem capite: *πρὸ δὲ τῆς Κροίσου ἀρχῆς πάντες Ἕλληνες ἦσαν ἐλεύθεροι.* — Pugnae inter Lydos et Graecos factae fuere initium bellorum per longum temporis spatium inter Persas et Graecos gestorum, fuere quodammodo primus concursus gentium orientis et Graecorum. Sed cum contentiones inter Graecos Asiam incolentes et Lydos superioribus saeculis exortae essent, solius Croesi historiam retulisse non satis fuit. Iam Gyge rege pugnae, in quibus proximi reges perseverabant, contra colonias graecas gestae initium ceperunt (cf. Herod. I, 14). Itaque quaestio nascitur, num Herodotus in Xanthi opere materiam suis historiarum libris aptam invenire potuerit. Ignoramus quidem,

quantum temporis spatium Xanthus opere, quod solum *Λυδικὰ* inscriptum et in libros quatuor divisum fuisse compertum habemus, colligaverit. Sed unus locus exstat, qui nos hac de re edocere potest, dico verba Eratosthenis apud Strabonem I. p. 49, quorum iam supra mentionem fecimus: *ταῦτ' εἰπὼν* (sc. Eratosthenes) *τὴν Σιγάτωνος ἐπαινεῖ δόξαν τοῦ φυσικοῦ καὶ ἔτι Ξάνθου τοῦ Λυδοῦ, τοῦ μὲν Ξάνθου λέγοντος ἐπὶ Ἀρταξέρξου μέγαν γενέσθαι αἰχμὼν.* Cum Artaxerxes regnum susceperit Ol. 78, 4. ao. 465 a. Chr. n., inde colligere licet, Xanthum res quoque sua aetate factas descripsisse. Praeterea nemini mirum videbitur, quoniam natione Graecus erat, qui de rebus Lydiis tractabat, eum id spatium, quod Graecis maximi erat momenti, i. e. tempora pugnarum inter Lydos et Graecos gestarum, haud intactum reliquisse. Non quidem supersunt fragmenta ex hac periodo, sub nomine Xanthi ab aliis auctoribus tradita, sed docere conabimur, Nicolaum Damascenum, qui quidem iis temporibus vigeat, quibus *Λυδικὰ* iam interpolata erant, aetate Augusti, Xanthi opere fonte usum esse. Notum est, Nicolaum historiarum libris, qui inscribuntur „*ἱστορία*“ vel secundum Suidam „*ἱστορία καθολική*“ (cf. Muellerus. fragm. tom. III, p. 343 sq.), de Lydiis quoque rebus accuratius tractasse (ap. Muell. lib. IV, fr. 22—29, lib. VI, fr. 49, lib. VII, fr. 62—65.). Et Creuzerus (fragm. p. 155, 184. 200. 202. 218.) et Welckerus (kl. Schriften, p. 438.) Nicolaum ex Xanthi opere hausisse persuasum habent. (cf. Muellerus. l. l. p. 370. ad fragm. 22.) Iam demonstrandum erit, num utriusque auctoris fragmentis inter se comparatis affinitatem inter Xanthum et Nicolaum statuere possimus.

Apud Dionysium Halicarnassensem (Archaeol. I, 28.) haec e Xantho petita verba legimus: *Ἄττος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει* (sc. Ξάνθος) *Λυδὸν καὶ Τόρρηβον,* apud Nicolaum Damasc. (fr. 22): *Τόρρηβος πόλις Λυδίας ἀπὸ Τορρήβου τοῦ Ἄττος,* ita ut apud utrumque auctorem alter Atyos filius Torrhebus vocetur. Fragmento Nicolai alio (no. 24.) haec memoriae traduntur: *Μόξος δὲ Λυδὸς . . . . . πολὺν χρόνον αὐτὴν* (sc. urbem Κράβον) *πολιορκήσας εἴλε καὶ ἐπόρθησε, τοὺς δὲ ἀνθρώπους εἰς τὴν πλησίον λίμνην ἀγαγὼν οἷα ἀθέους ἐπόντωσεν* (vel ut apud Suidam legitur: *κατεπόντωσε*), Athenaeus autem (lib. VIII p. 346 E.) e Xantho hanc enarrationem affert: *Ἡ δὲ γε Ἀτεργάτις, ὡσπερ Ξάνθος λέγει ὁ Λυδὸς, ἐπὶ Μόψου τοῦ Λυδοῦ ἀλοῦσα κατεποντίσθη μετὰ Ἰχθύος τοῦ υἱοῦ ἐν τῇ περὶ Ἀσκάλωνα λίμνην διὰ τὴν ὕβριν καὶ ἐπὶ τῶν ἰχθύων κατεβρώθη.* Utroque loco quin idem rex intelligendus sit, haud dubitabimus respicientes ad similitudinem non solum nominis regis sed

etiam enarrationis. Recte Muellerus (l. l. p. 371 ad fragm. 24.) adnotavit: „falsum esse Sevinum (Mém. de l'Acad. X. p. 250.), qui Moxum eundem esse putavit cum Myrso, cui Candaules Herodoto teste successit vel ex serie excerptorum patet. De Myrso illo Nicolaus libro sexto demum loquitur.“ Varia autem lectio „Μόψος“ et „Μόξος,“ quae nobis in nomine regis occurrit, minime offendet, cum haec duo fragmenta inter se comparaverimus (Athenaeus, X, 8. p. 415 C. D.): *Ξάνθος δὲ ἐν τοῖς Ἀνδιακοῖς Κάμβητα φησὶ τὸν βασιλεύσαντα Ἀνδῶν πολυδάρον γενέσθαι καὶ πολυπότην, ἔτι δὲ γαστρίμαργον, τοῦτον οὖν ποτε νεκρὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα κατακρουρογῆσαντα καταφαγεῖν· ἔπειτα πρῶτ' εὐρόντα τὴν χεῖρα τῆς γυναῖκος ἐνοῦσαν ἐν τῷ στόματι ἑαυτὸν ἀποσφάξαι περιβοήτου τῆς πράξεως γενομένης, et Nicolai Damasceni fragm. 28: ὅτι Καμβλίτας βασιλεὺς Ἀνδίας. τοῦτον λέγεται οὕτω γαστρίμαργον σφόδρα γενέσθαι, ὥστε καὶ τὴν αὐτοῦ γυναῖκα ἐπιθύσαντα (ἐπιθύσαντα cod.) καταφαγεῖν. Αὐτὸς γε μὴν ἑαυτὸν δόξας ὑπὸ φαρμακῶν βεβλάφθαι, περιβοήτου τοῦ πράγματος γενομένου ξίφος ἔχων, πληθούσης ἀγορᾶς, ἐν μέσῳ στάς εἶπεν· „ὦ Ζεῦ, εἰ μὲν ἀπ' ἑμαντοῦ δέδρακα ταῦτα ἃ δέδρακα, τίσαιμι ἐν ἑμαντῶ τὰς δίκας, εἰ δὲ ὑπὸ τῶν φαρμακῶν διαφθαρεῖς, οἱ ἐμὲ φαρμάξαντες πάθουεν.“ Ταῦτα εἶπε καὶ ὁρόντων πάντων ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν. Eadem historia apud Aelianum quoque invenitur (var. hist. I, 27.), qui regem Κάμβητα τὸν Ἀνδῶν vocat, praeterea apud Eustathium (in Hom. p. 356. 49.), qui ex Athenaeo hausit, ubi romen regis corrupte scriptum est Καμβύσις.*

Quae duo fragmenta, quamquam semel ac saepius eadem verba redeunt, tamen inter se nonnullis in rebus diversa esse patet. Muellerus (fragm. III, p. 372 ad fragm. 28.) de iis, quae de Cambleta rege Athenaeus tradit, addit: „quae narratio rudiorē antiquitatem redolet et ex antiquo logographi opere manavit, dum nostra e Xantho Dionysii Mytilenaei desumpta fuerit.“ Dubitaverim, num tali modo inter utrumque fragmentum discerni possit. Licet enarratio, qualis exstat apud Athenaeum, multo brevior sit, quam Nicolai Damasceni, tamen apud hunc quoque ex mea quidem sententia nonnulla silentio praetermissa esse videntur, quum preces regis cum iis, quae subsequuntur, non arte cohaereant. Non minus in medio relinquendum est, preces intercalatae utrum Nicolaum Damascenum an Dionysium Mytilenaeum habeant auctorem.

Sed artissima inter Xanthum et Nicolaum affinitas ex hoc apud Stephanum Byzant. fragmento apparet (s. v. Ἀσάλιον.): Ἀσάλιον πόλις Συρίας πρὸς

τῇ Ἰουδαίᾳ, Ξάνθος ἐν τετάρτῃ Ἀνδιακῶν φησὶν, ὅτι Τάνταλος καὶ Ἄσκαλος, παῖδες Ὑμεναίου· Τὸν δὲ Ἄσκαλον, ἐπὶ Ἀιαμοῦ τοῦ Ἀνδῶν βασιλέως αἰρεθέντα στρατηγόν, εἰς Συρίαν στρατεῦσαι κάκει, παρθένον ἐρασθέντα, πόλιν κτίσαι ἢ ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτως ὠνόμασεν. Quibus verbis addit Stephanus: Τὰ αὐτὰ καὶ Νικόλαος ἐν τετάρτῃ ἱστορίᾳ.

Affero deinde argumentum nomina duarum urbium, quae tantummodo apud nostros auctores inveniuntur. Scriptum est apud Stephanum Byz.: *Ἀνκοσθένη· πόλις Ἀνδίας. Ξάνθος πρώτη Ἀνδιακῶν.* Eandem urbem quin Nicolaus quoque commemoraverit, dubitari nequit, quum Stephanus sic pergat: *ἢ καὶ Ἀνκοσθένηαν Νικόλαός φησιν.* (cf. Muellerus. ad. Nic. Damasc. fragm. 23. tom. III, p. 371 et Creuzerus ad Xanthi fragm. p. 193.) Altero apud Stephanum loco affertur: *Ἀρδύνιον πόλις ἐν Θήβης πεδίῳ, ὡς Ξάνθος ἐν Ἀνδιακῶν δευτέρῳ* et apud Nicolaum (Muellerus. l. l. p. 384.) legimus: *ἐκ τούτων (γαμῆν) ἔμελλε Σαδνάτης τὴν Ἀρνώσσοι θυγατέρα, ὄνομα Τουδώ, τοῦ Μυσῶν βασιλέως, ὅστις πόλιν Ἀρδύνιον ἔκτισεν ἐν Θήβης πεδίῳ.* Muellerus l. a. adiicit: „urbem nemo memorat praeter Xanthum apud Stephanum Byzantium.“

Denique duorum mythicorum regum nomina apud utrumque auctorem redeunt. Suidas enim tradit (Muellerus. Xanthi fragm. 10.): *Ξάνθος ἱστορεῖ, Ἄλκιμόν τινα βασιλεῦσαι τῆς ἐκεῖσε χώρας εὐσεβέστατον καὶ προύτατον κτλ.,* et Nicolaus (p. 382 initio.) haec exhibet: *κατελθὼν δὲ ὁ Ἄρδης ἐβασίλευσε μετὰ Ἄλκιμον πάντων ἄριστα καὶ σφόδρα γίνεται Ἀνδοῖς καταθύμιος καὶ φιλοδίκαιος,* ita ut eluceat, mores regis et hic et illic pariter descriptos fuisse. Non esse, cur offendamus in varia lectione nominum „Ἄλκιμος“ et „Ἄλκιμος“ iam supra adnotavimus. Alterius regis nomen est Thylon, cuius mentio fit apud Plinium (hist. nat. XXV. c. 5. p. 360 Harduin.) hisce verbis: Xanthus historia- rum auctor in primo earum tradit, occisum draconis catulum revocatum ad vitam a parente herba, quam balin nominat, eadem Thylonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. — Idem regis nomen nobis occurrit loco quodam Nicolai Damasceni (Muellerus fragm. III. p. 383 initio.): *Μήλης δὲ φερίγων τὴν ἀρχὴν ἐπίστευσε Σαδνάτη τῷ Κάδμος, γένος ὄντι τὸ ἀνάκαθεν ἀπὸ Τύλωνος.* (cf. Nic. Dam. p. 384: *Αἴζος τοῦ Τυλωνίου γένους* et Muell. not. 38. p. 383).

Iam transgredi liceat ad quaestionem, num inter fragmenta Nicolai Damasceni, qui Xanthi ipsius libris perditis in huius auctoris locum substituen-

us est et Herodoti rerum Lydiarum historiam affinitas inveniri possit, quae Herodotum Xantho fonte usum esse doceat.

Ac primum quidem spectemus tempora, quae regno Mermnadarum praecedunt, i. e. aetatem Heraclidarum, quorum Herodotus lib. I. c. 7. primum Agronem, ultimum Candaulem nominat. Series autem regum haec est: Heracles, Alcaeus, Belos, Ninos, Agron, . . . . . Myrsos, Candaules. Paucissimis solummodo verbis regum familiam, quae ante Heraclidas regnabat, eiusdem capituli versibus subsequentibus hisce verbis commemorat: *οἱ δὲ πρότερον Ἀγρωνος βασιλεύσαντες ταύτης τῆς χώρας ἦσαν ἀπόγονοι Ἀυδοῦ τοῦ Ἰνίου, ἀπ' ὅτεν ὁ δῆμος Λίδιος ἐκλήθη ὁ πᾶς οὗτος, πρότερον Μήτων καλούμενος.*

In temporum ratione regni Heraclidarum Herodotum indiligentem esse apparet, cum viginti duas aetates hominum cum DV annis aequet, quae ratio omnino intelligi nequit, nisi fortasse conicere licet, Herodotum, cuius, ut iam supra dictum est, non intererat, antiquissima Lydiae tempora accuratius enarrare, indicibus regum, quos in Xanthi opere reperiebat, haud accurate usum, non habita ratione interregum (— ex. gr. affero interregem quendam apud Nicol. Damasc. fr. 49 initio, qui Spermio nominatur. —) vel intervallorum regni Heraclidarum, quae semel atque iterum facta esse mihi verisimile videtur, numerum omnium nominatorum regum (XXII) cum numero annorum, quos Heraclidae ipsi regnabant, confudisse neque intellexisse, se tali modo duas res, quae inter se non congruunt, coniungere.

Tempora, quae Herodotus accuratius describere sibi proposuit, demum ab aetate Candaulis incipiunt et ab hoc temporis spatio narrationes Herodoti et Xanthi vel potius Nicolai multis in rebus similia exhibent. Myrsus inter Heraclidas penultimo loco affertur. (Herod. I, 7: *πᾶς παρὰ πατρὸς ἐκδεκόμενος τὴν ἀρχὴν μέχρι Κανδαύλειο τοῦ Μύρσον* et Nic. Damasc. fr. 49. p. 383. *βασιλεύσαντος δὲ Μύρσον* atque paulo post: *ὅτι Σαδνάτης ὁ ἔσχατος βασιλεὺς Ἀυδῶν*.) Nomine ultimi regis Heraclidarum auctores nostri inter se dissentiunt, cum Nicolaus lectione ambigua eum Adyattem vel Sadyattem nominet, Herodotus ultimum Heraclidarum Candaulem commemoret (*τὸν οἱ Ἕλληνες Μυροῖλον οὐνομάζουσι*), quod nomen apud Nicolaum omnino non reperitur. Crediderim autem id fortasse interpolatione Dionysii Scytobrachionis excidisse. Welckerus (kl. Schriften I, p. 444.) verisimile esse comprobare studuit, nomen Candaulis, Xanthi patris, fictum esse a Dionysio Mytilenaeo. Haud scio an haec ei causa fuerit, ut in regum ordine nomine Candaulis intermisso, Adyattis vel Sadyattis

nomen, quod saepius nobis occurrit, substituisse. Summa narrationis Herodoti (lib. I, 8 sq.) et Nicolai Damasceni, (Muellerus. fr. III, p. 383.) quae agit de Heraclidis regno expulsis, quamvis in ipsa expositione multa dissimilia inveniuntur, eadem est. Gyges et hic et illic vir inducitur, qui sua virtute inter regis custodes ad summos honores ascendit. (Herod. I, 8: ἦν γὰρ οἱ τῶν ἀίχμοφόρων Γύγης ὁ Δασκίλον ἀρεσκόμενος μάλιστα et Nicolaus Damasc. l. l.: ἦν δὲ ὁ Γύγης κάλλει τε καὶ μεγέθει διαφέρων, τὰ δὲ πολέμια γενναῖος καὶ τῶν ἡλικῶν μακροῦ τὰ πάντα ἄριστος, ἵππων τε καὶ ὀπλῶν χρῆσιν ἤσκει pauloque post: καὶ θεασάμενος ἡγάσθη τὸ δὲ εἶδος καὶ τὸ μέγεθος ἐκέλευσέ τε μετὰ τῶν δορυφόρων εἶναι.) Apud utrumque Gyges filius est Dascyli (Herod. I, 8: Γύγης ὁ Δασκίλου et Nicol. fragm. 49: τὸν μέντοι παῖδα Γύγην ἐπεμψε Δάσκυλος.) et summa apud regem auctoritate fruitur. (Herod. l. a. τοῦτω τῷ Γύγγη καὶ τὰ σπουδαιότερα τῶν πραγμάτων ἐπερετίθετο ὁ Κανδαύλης. Nic. Damasc. ibid. p. 384: ἔστρεψεν αὐτὸν θαναμάζων τὸ δραστήριον καὶ τῆς πρόσθεν ὑποψίας λήξας γῆν αὐτῷ πολλὴν ἐνεχείρισεν.)

Offendit quidem ratio, qua Herodotus Gygem inducit. Subita eius commemoratio, — utitur enim breviter particula γάρ, — plane prorsusque contraria est diligenti enarrationi, quae exstat apud Nicolaum. Herodotus autem de genere Gygis, quod iam extremis Heraclidarum temporibus multum auctoritatis nactum esse Nicolaus memoriae prodidit, nihil commemorasse mihi videtur, quia accuratam Lydiae regum historiam demum a Candaulis temporibus describere statuerat. Cum Xanthum secutus exponeret, quomodo Gyges ad amplissimos honores ascendisset et tantam apud regem auctoritatem adeptus esset, praetermissis iis rebus, quae antecedeabant, deinde, nisi longum excursus enarrationi intextere volebat, quodammodo coactus est, Gygem tam repente inducere. Quem opera coniugis regis rerum potitum esse, uterque auctor congruenter tradit et enarratio quoque, quae exstat apud Platonem, (de republ. II, 3.) licet aliis in rebus discrepet, in hac quidem re consentit. Secundum Nicolai expositionem scelus Gygi crimini vertitur, secundum Herodoti Candauli. Quae dissensio, ni fallor, referenda est ad ea, quae Herodotus, cum Delphis versaretur, a sacerdotibus accipiebat. Recte Dahlmannus libro laudato p. 56, admonet: „so machte er (nämlich Herodot) in Delphi den Tempelschatz zum Gegenstand einer historischen Untersuchung, musterte dort mit besonderer Aufmerksamkeit die Weihegeschenke der alten lydischen Könige und vernahm von den Delphern manche dahin gehörige Nachricht.“ Gyges etiam secundum ea

quae narrat Nicolaus oraculo Delphico innititur, (*καὶ ἐπεμψαν εἰς Δελφοὺς πευσόμενοι, εἰ Γύγην στήσαινο ἐαντῶν βασιλέα.* Muellerus. fragm. III, p. 385.) ita ut admodum verisimile videatur, multa anathemata ab illo dedicata (Herod. I, 14: *Γύγης δὲ τυραννεύσας ἀπέπεμψε ἀναθήματα οὐκ ὀλίγα κτλ.*) ei multum auctoritatis illic comparasse, quo factum esse, ut sacerdotes studerent, ea, quae Gyges contra Candaulem perpetraverat, defendere. Et ex Nicolai enarratione et ex Herodoti comperimus simul cum Gygis regni initio tumultum exortum esse. (Herod. I, 13: *ὡς γὰρ δὴ οἱ Λυδοὶ δεινὸν ἐποιεύντο τὸ Κανδαύλεω πάθος καὶ ἐν ὀπλοισιν ἦσαν κτλ.* Nic. Damasc. p. 385: *οἱ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἐταράχθησαν δεσπασαχοῦντες τὸ ἔργον καὶ ἐπὶ Γύγην ὠρμῶντο.*) Et hic et illic discrimen rei in responso oraculi Delphici positum est. (Herod. I, 13: *συνέβησαν ἐς τωτὸ οἱ τε τοῦ Γύγεω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοὶ, ἦν μὲν δὴ τὸ χρηστήριον ἀνέλη μιν, βασιλέα εἶναι Λυδῶν, τότε βασιλεύειν, ἦν δὲ μὴ, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδαν τὴν ἀρχήν.* Nicol. Damasc.: *καὶ ἐπεμψαν εἰς Δελφοὺς κτλ.* v. supra.) Responsum autem ipsum, quod ab oraculo editur, apud utrumque auctorem idem est. (Herod. I, 13: *τοσόνδε μέντοι εἶπε ἡ Πυθίη, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἦξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω.* Nicol. Damasc. l. 1: *θεὸς δ' ἐκέλευσε τοσόνδε προειπῶν, ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις ἐς πέμπτην γενεὰν ἦκοι τίσις παρὰ τῶν Μερναδῶν.*) Denique Herodotus et Nicolaus in ea re inter se consentiunt, quod Gyges uxorem regis interfecti in matrimonium ducit. (Herod. I, 12: *καὶ μετὰ ταῦτα . . . . ἔσχε καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὴν βασιλῆην Γύγης.* Nic. Damasc. l. a.: *τοῖντεῦθεν Γύγης ὁ Λαυκόλου Λυδῶν βασιλεύει καὶ γαμεῖ τὴν Μυσὴν γυναῖκα, ἦντινα Σαδνάτης (v. supra.) ἠγάγετο.*)

Apud Herodotum quoque Heraclidae post mortem Candaulis non statim extinguuntur, cum ex verbis oraculi Delphici: (Her. I, 13.) *ἦν δὲ μὴ, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδαν τὴν ἀρχήν* perspicue eluceat, posteros Candaulis vel alius cuiusdam familiae Heraclidarum, Gyge rege, superstites fuisse. Nicolaus Damascenus fuse et late de Lixo quodam disserit, qui aliter ac filius Heraclidarum accipi non potest, quocum Gyges initio quidem inimicitias habebat, deinde autem amicitiam conciliabat. (*τοῦ Τυλωνίου γένους.* cf. Mueller, p. 384 n. 49, et p. 383. no. 38. Plin. histor. nat. XXV. 2. 14. Sillig.)

Herodotus deinde, Gyge mortuo, Ardym successisse, quo regnante Cimmerios in Asiam minorem invasisse, enarrat. Cuius rei Nicolaus mentionem omnino non facit. Haud scio an iure coniecerim, ut compluribus aliis locis, sic hic quoque ab excerptore nonnulla ommissa esse. Praeterea nomen „*Λοδης*“



apud Nicolaum non exstat, sed pater Sadyattis ab eo Alyattes nominatur, quam diversitatem, ut iam Muellerus ad fragm. 63, 1. adnotavit, ex excerptoris errore effluxisse verisimile est. Rebus ab Alyatte (vel Ardy) rege gestis silentio praetermissis, Nicolaus de proximis regibus, de Sadyatte et Alyatte, — haec duo nomina apud Herodotum quoque redeunt — solummodo strictissimis verbis disserit. Uterque autem auctor Smyrnam ab Alyatte expugnatam esse commemorat. (Herod. I, 16: *Σμύρνην τε τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἴλε κτλ.* Nicol. fr. 64 p. 397: *ἐπολέμησε δὲ Σμυρναίους καὶ εἴλεν αὐτῶν τὸ ἄστυ.*) Herodotus deinde accuratius de Mileto per Lydorum reges Sadyattem et Alyattem expugnata dicens rursus ad oraculum Delphicum recurrit, ita ut dubitari nequeat, quin haec tota enarratio oraculi sacerdotibus debeatur.

Alyattem complures filios reliquisse Nicolaus nobis refert (fr. 65 p. 397: *... καὶ Κροίσῳ ὅστις ἦν αὐτοῦ πρεσβύτατος τῶν παίδων* et ibidem paulo post: *ὅτι πολλοὶ παῖδες εἶεν Ἀλκιάτη.*) Herodotus tantum duos filios, Croesum et Pantaleonem, nominat, (lib. I, 92.) neque ex eius verbis perspici potest, uter maior natu fuerit. Dunckerus (Geschichte des Alterthums tom. I, p. 895.) ex mea quidem sententia longius progreditur, cum ex iis, quae Herodotus (lib. I. c. 92.) adnotat, concludat, Pantaleonem filium Alyattis natu maiorem fuisse. Certamen, quod inter eum eiusque fratrem exardescit, ea de causa exoritur, quod hic non propter aetatem sed propter originem se fratre haud inferiorem esse putabat. Ceterum ex iis quoque, quae Nicolaus fragm. 65 tradit, apparet inter fratres de regno pugnatum esse, neque minus inde comperimus, Croesum, multis resistantibus, regnum Lydiae iniisse, id quod Herodotus (lib. I. cap. 92) disertissimis verbis explicat. Quibus in Croesi adversariis uterque auctor mercatorem divitem affert, cui apud Nicolaum Sadyatti nomen est. (Herod. I, 92: *τὰ δὲ ἄλλα ἀναθήματα ἐξ ἀνδρὸς ἐγένετο οὐσίης ἐχθροῦ, ὃς οἱ πρὶν ἢ βασιλεῦσαι ἀντιστασιώτης κατεστήκει συσπείδων Πανταλέοντι γενέσθαι τὴν Ἀνδῶν ἀρχήν.* Nic. Damasc. fragm. 65: *ἦλθεν ἐπὶ Σαδνάτην τὸν ἔμπορον πλουσιώτατον Ἀνδῶν ὄντα κτλ.*) Ex opibus mercatoris anathemata, quae postea in honorem Dianae Ephesiae ponebantur, instructa esse Nicolaus ibidem dilucide enarrat (*τὸν δὲ τοῦ ἐμποροῦ οἶκον Ἀρτέμιδι καθιέρωσε καὶ αὐτὰ τὰ θεμέλια ἀποδόμενος διὰ τὴν εὐχὴν, ὡς μηδὲν λείποιτο.*) et Herodotus quoque loco allato anathemata Dianae magnam partem ex illius mercatoris divitiis soluta esse adnotat.

Initium pugnarum inter Persas et Lydos gestarum Nicolaus quidem silentio praetermittit, Herodotus autem (lib. I. cap. 46.) hanc rem accuratissime describit,

nixus hac in enarratione toties oraculis Delphis datis, ut coniectura colligere liceat, eum ex iis, quae ab oraculi sacerdotibus compererat, hausisse. Nicolaus tantum pugnae exitum exponit atque, quamvis ea enarrandi ratione utatur, ut logographi artem scribendi inde vix cognoscamus et praeterea ea, quae memoriae prodidit, nonnullis in rebus ab Herodoti verbis discrepent, tamen multa quoque similia occurrunt; exemplo utor numero captivorum, qui simul cum Croeso in rogam ascendunt. (Herod. I, 86: *ὁ δὲ συνήσας πυρὴν μεγάλην ἀνεβίβασε ἐπ' αὐτὴν τὸν Κροῖσόν τε ἐν πέδησι δεδεμένον καὶ δις ἑπτὰ Ἀνδῶν παρ' αὐτὸν παῖδας.* Nic. Damasc. fr. 68. p. 407: *ὀλίγον δ' ὕστερον θεράποντες ἦγον Κροῖσον δεσμιώτην καὶ Ἀνδῶν δις ἑπτὰ* et eodem fragmento p. 408: *ὁ δ' ἤδη ἐπὶ τῆς πυρᾶς καθῆστο καὶ σὺν αὐτῷ δις ἑπτὰ Ἀνδῶν.*) Tum non modo usus inter Croesum et Solonem, qui, cum temporum rationi repugnaret, iam antiquitate negabatur (cf. Duncker. Gesch. d. Alterthums I, 905.) et apud Herodotum et apud Nicolaum invenitur, sed etiam mirabilis regis vindicta per Apollinem facta. (Herod. I, 87: *ἐκ δὲ αἰθρίας καὶ νημερίας συνδραμεῖν ἕξαπίνης νέφεα καὶ χιμῶνά τε καταδρόαγῆναι καὶ ἕσαι ὕδατι λαβροτάτω, κατασβεσθῆναι δὲ τὴν πυρὴν.* Nicol. fr. 68 p. 408: *Χιμῶν δὲ ἔτυχε τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἕξ ἡοῦς, οὐ μὴν ἑτέος γε. Κροῖσον δὲ ἐξαιμένον, ζοφερός ἐξαιφνης ἀπὸ συνέδραμε νεφούμενος πάντοθεν, βρονταὶ δὲ γίνοντα καὶ ἀστραπαὶ συνεχεῖς· τοσοῦτος δὲ καταδρόαγη ἑτέος, ὥστε μὴ μόνον τὴν πυρὴν σβεσθῆναι κτλ.) Denique auctores in ea re inter se congruunt, quod Cyrus hoc facto cum Croeso amicitiam init intimam.*

Elucet igitur ex hac quaestione argumenta, quibus Dahlmannus aliique utuntur, ut comprobent, Herodotum Xanthi opere fonte non usum esse, non modo non sufficere, sed potius multa, quae ab Herodoto et Nicolao Damasceno, qui Xanthi *Ἀνδικά*, interpolata quidem a Dionysio Mytilenaeo, transcribebat, gravissimum Ephori testimonium admodum corroborare. Si praeterea tenemus, Herodotum primam vitae aetatem in Asia degisse et iis quidem temporibus, quibus Sardes fuere illustris litterarum sedes, nostro iure miraremur, si operis, quod ab antiquitatis auctoribus summis laudibus effertur, nullam cognitionem habuisset neque eo, quod propter multas inter Lydos et Cares necessitudines ei maximi momenti fuisse nemo non intelligit, usus esset, cum res Lydorum describere consilium caperet.